



IOAS, filius Ochofiæ Regis Iudæ, anno 7. regni Athaliæ matris, qui erat annus mûdi 3 0 6 7. ante Christum natum 8 9 5. à Ioiada pontifice vngitur in Regem Iudæ. De hoc superiori pagina in Athalia dictum est, quòd à Iosaba filia Iorâ, sorore Ochofiæ absconditus sit, ne interficeret eum Athalia. hic magnam vim pecunię misit ad Regem Syriæ, ut recederet: nam cum exercitu pugnabat contra Iudæos. Templum Domini instauravit, pius ipse in Deum & homines. At verò mortuo Ioiada Zachariam Prophetam filium Ioiadæ interemit, beneficiorum Ioiadæ immemor, aut ingratus. peccatum ultio secuta est, nec diu moram traxit: nam elapso vix anno ascendit contra Ioas exercitus Syriæ, venitque in Iudam & Ierusalem: primores occiderunt, prædas abegerunt. Denique insurgentes etiam serui in ipsum Ioas, eum occiderunt in lectulo suo, in ultionem sanguinis Zachariæ filij Ioiadæ. 4. Reg. 11. & 12. ca. 2. Paralipo. 24. & 25. Ioseph. lib. 9. cap. 7. & 8. imperavit annos 40. fuit alter Ioas, filius Ioachas filij Iehu, Rex Israel.

AMASIAS filius Ioas, successit patri in regno Iudæ anno mundi 3 1 0 7. ante Christum natum 8 5 5. is erat annus secundus regni Ioas, filij Ioachas Regis Israel. Hic vindex fuit paternæ cædis, in eos qui homicidium perpetrarant: non autem in filios eorum. Idumæos vicit, decem millibus occisis & totidem præcipitatis. Posthæc deos Idumæorum adoravit: quare indignatus Dominus tradidit eum in manus supradicti Ioas, & occisus est anno regni sui 29. 4. Reg. 13. & 14. 2. Para. 25. item Ioseph. lib. Anti. 9. cap. 9. successit ei Ozias, qui & Azarias dictus est.